

20

1689

30

12

CUM DEO TRINUNO!

Inviētissima Claritas & Perspicuitas

Sacræ Scripturæ
ET
Corporis Juris Civi-
lis JUSTINIANEI,

contra

ALLATRANTES ADVERSARIOS,
Quod Ista sit litera mortua ac animanda per
TRADITIONES;

*Hoc autem habeat Nasum cereum, hinc indè mutabi-
lem & transformabilem,
annuente & favente S. Theol. & Jctor. Facultate
per Simile cum Sacrà Scripturâ demonstrata
& quod ejusdem materia jucundum legendi & utile
accessorium est,*

CHRISTI & Jur. Servô Infirmô,
AUG. FLEISCHHAUERO, Imperial. auth. Not. &c.
Anno Christi 1689.

Witteberge, è Calcographiô Johannis Wilckii.



*Nobilissimis, Amplis. Consultissimis, Excellentiss.
Præclarissimis & Prudentissimis*

DOMINIS,
DN. CONSULI

PRIMARIO &
SYNDICO,

UT ET

omnibus ac singulis Antistibus
atq; SENATORIBUS,
JUDICII & Reipubl. Lipsiæ.

*Dominis, Meccœnatibus, Patronis & Promotoribus
salutis meæ, ut Diis summè & singulariter colendis.*



Hocce Exiguum

D. D. D.

subjectiss. humill. Cliens servusq;

A.



IN NOMINE DN. nostri JESU CHRISTI & SS. TRINITATIS
ad omnia Consilia, Actusq; nostros recte progredimur
l. 2. pr. C. de off. praef. prator. Afric.

Iacet Definitio justitiæ & Jurisprudentiæ
ab Imperatore Justiniano Sacratissimô
sic stabilita sit, ut affligi ac corrigi non
possit, quæ in Inst. jur. lib. 1. Tit. 1. Princ. &
§. 1. ita sese habet:

*Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum
cuiq; tribuendi.*

*Et jurisprudentia est Divinarum atq; humanarum
Rerum Notitia, justis atq; injustis Scientia.*

Ad sunt tamen quidam, proh dolor! Nasuti, plebeji,
in eruditi & Imperiti, qui ita temerè & Nasutè JUS
JUSTINIANEUM CIVILE s. CORPUS JURIS con-
stans in Institutionibus jur. Pandectis s. Digestis, Co-
dice & Novellis allatrant hisce verbis contumeliosis
atq; absurdis:

Quod JUS & JUSTITIA habeat NASUM Cereum.

Quod falsum, absurdum & rejiciendum!

Itaq; ex justô dolore horum Impiorum hominum
Rumusclos aucupari, iisdemq; Heroicè contradice-
re, Ratio pia cum piô Zelô svadet & Exercitii gratiâ
jubet; quamvis ingenii Imbecillitas, negotii gravitas,

Statusq; tenuitas cum defectu authoritatis & librorum ut mu-
torum Doctorum me repellat & abstinere de his Conatibus
arduis instiget. Uti enim S. Scriptura, quæ est Verbum DEI,
verum & originale salvificum, ab impiis Contemptoribus Ejus-
dem, & Adversariis arroditur, latrantibus: *Quod S.S. sit obscu-
ra, diffi.ilis, litera mortua atq; animanda per interpretationem
Pontificis, traditionum Confirmationem, & illustrationem, vel
quasi; Ita omne Bonum à Summò Bond, DEO, Fonte Salutis
nobis revelatum atq; traditum, ut e.g. Donum Justitiæ, nostrū
jur. Corpus à permultis Momis, Sophistis, blateronibus, & na-
sutulis insulsis, futilibus, in spidè, tanquam ab inutilibus terræ
ponderibus, Carpitur & sugillatur imitatione ingrati Cuculi.*

MEMBRI I. POS. I.

Etenim arrosam S. S. quod attinet, & obiter Curforiè, ut inci-
dentèr, ne falx in alienam messem mittatur, tangitur, sunt utra-
que prolata meræ nugæ, & humani cerebri quisquiliæ. Isti Fal-
sarii errabundi Igni fatuo similes sententiam suam falsissimam
hòcce arenosò uliginosò fundamentò colorant & fucant, al-
legantes S. Petri epist. 2. c. 3. v. 16. Imitatione Satanæ in tentatio-
ne Christi, Matth. 4. qvi & S.S. false & fallaciter abusus est more
Abydocomarum. Verba Petri sunt hæc: *Ut qvi (Paulus) in omni-
bus ferè Epistolis loquatur de istis, inter quæ sunt nonnulla diffi-
cilia intellectu, quæ indocti parumq; stabiles detorquent, ut reli-
quas Scripturas ad suum ipsorum exitium.*

Ast Resp. 1. Petrus loquitur de S.S. non in toto, sed in par-
te videlicet, de epistolis Pauli tantum. 2. de nonnullis Pauli, non
omnibus. 3. de rebus ipsis & mysteriis, non scripturis, nimirū
extremò judiciò & mundi interitu, de quibus in præcedentib; 9
egerat. 4. non vocat obscura, sed intellectu difficilia, tam pro-
pter Rerum Majestatem, quàm Intellectus nostri infirmitatem,
5. de his, qvi fidiculis quasi extorquere à Scripturis volunt, ut
lo-

loquatur, quod Ipsi sentiunt, & 6. Petrus quasi os & mentes
hominum sagacium in Mysteriis, & rebus Majestatis Divi-
næ, obdurat & concludit.

Distingvendum igitur est I. inter Res Scripturæ, & Verba
Scripturæ, Scripturæ Res Animalis homo nec capit, nec
cognoscere potest &c. I. Cor. II. v. 7. 8. 14.

Dist. II. Secundum Luth. lib. de serv. arbitr. inter Res DEI,
quæ sunt obscuræ, & inter Res Scripturæ, quæ sunt per-
spicua, Aliud n. est obscurum esse, & aliud obscure dici.
Ideoq; III. Distinctio & hæc est adhibenda: inter Res Ipsas
& modum dicendi; Res ipsæ Majestate sua sunt difficiles
in Scripturâ, ut Articulus de Mysteriô S. S. Trinit, &c. Sed
non obscure proponuntur. Adsunt Gradus Claritatis,
naud ubiq; omnia traduntur. DEus n. pro infinitâ suâ
Sapientiâ in Rebus difficilibus Majestatem Scripturæ pro-
ponere, diligentiam nobis excitare, arrogantiam huma-
nam ab Eva nobis innatam deprimere, preces elicere, à
nativâ mentis Cœcitate in Divinis ad majorem S. Mini-
sterio ac interpretibus Verbi Reverentiam præstandam
nos deducere voluit.

Sin autem aliquid unô in locô obscurius paululum
extet, id tn. in aliô clarius expressum invenitur, si non
distributivè, attamen Collectivè per universum Doctrinæ
Corpus. Estq; ita IV. Claritas & perspicuitas S. Scripturæ
& externa & interna. Illa est literalis & Grammaticæ co-
gnitionis sensus, quem verba manifesta & clara expri-
munt; Hæc est salutaris cognitio, qua homo per Sp. S.
Illuminatus Scripturam sibi ad salutem intelligit. Illa o-
ritur ex Vi naturalis intelligentiæ; Hæc à supernaturali
Gratiæ Div. lumine. Illa & piis & impiis communis est;
Hæc solis piis propria. Illa Fidem Historicam gignit; Hæc
salvi-

salvificam. De utraq; videre est Luth. in lib. de Serv. arb. sub verbis: *Duplex est Scriptura Claritas &c.* Ubi & Subjecta discernenda sunt in S. Scripturae Claritate & obscuritate. Nam promiscuè minimè cuiq; Subjecto objectum hoc in nostra substrata materia est perspicuum, sed benè disposito, ideoq; Paulus 2. Cor. 4. v. 3. & 4. ait: *Quod si Obiectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt, obiectum est, in quibus DEus hujus seculi excaecavit mentes, i.e. infidelibus, ad hoc ne eradiet eos Lumen Evangelii, gloriae Christi, qui est Imago DEI.*

Quod vocabulum *PERSPICUUM* sive *PERSPICUITAS* est respectivum, habens Relationem, cui est Perspicuum s. perspicua. Uti enim omne Lucidum & Clarè coloratum est visibile, est non cuivis oculo, sed benè Disposito. Si enim quis oculos spontè claudat, aut coactè, is vel ad meridianum Solem caligabit. Ita quoq; S. Scriptura, quæ absolute satis clara est, alteri evadere potest obscura, vel ab Impedimento justæ ætatis, vel ex mentis aliquò defectu, vel à præconceptis opinionibus, vel ab ignorantia linguarum, vel aliundè. Permanet igitur verum atq; permanebit in æternum, Pl. 119. v. 105. II. Pet. I. v. 19. Dictum: *Lucerna pedibus meis Verbum Tuum & Lumen semitis meæ.*

Hujus subjectum est *VERBUM DNI*, h. e. S. Scriptura; Prædicata autem duo sunt: Quod sit *LUCERNA PEDI- BUS NOSTRIS*, i.e. Actionibus nostris omnibus: Ex hisce fundamentis nunc ita argumentatur:

Quodcumq; Lucerna, & Lumen, est omnibus Actionibus nostris, id est perspicuum, Atqui. E.

Et ita Declaratio S. explicatio Scripturae non est Claritati Eiusdem contraria, sed ex Scripturâ ipsâ Scriptura explicatur, & illuminatur. Adeoq; alieno Traditionum Lumine non est opus. Quod confirmatur & in N. T. ex Epist. 2. Pe-

Petri, c. I. v. 19. quæ requirit Subjectum benè dispositum,
q. e. Lector peritus, attentus, devotus, pius, qui Lucerna-
nam, ejusdemq; Lumen non imple impediatur, vel per negli-
gentiam amittat. Ex hisce profluit tale Argumentum:

*Quicquid nunc ita non tantum in se lucet, sed & ad alia lu-
men suum diffundit, id utiq; summè lucidum & perspicu-
um est. Atqui S. S. hoc facit. E.*

POS. II.

Etsi & contra S. Scripturæ perspicuitatem & Claritatem
Ps. 119. v. 18. allegatur: *Da mihi intellectum, Revela oculos
meos.* Tamen, uti antea dictum, Non cuilibet Subjecto pa-
tet S. Scripturæ Claritas perspicua, sed benè disposito, quæ
dispositio per preces, & Sp. Sancti illuminationem, est ac-
quirenda. Est itaq; & esse debet Oratio nostra perpetua.
Ut Author S. Scripturæ revelet nobis oculos nostros, det
nobis illuminatos oculos mentis nostræ ad illuminatio-
nem cognitionis Gloriæ DEI, in Facie Jesu Christi, ut in
Ejusdem Lumine videamus Lumen.

MEMBR. II. Pos I.

Hisce ita per simile quoddam cursoriè adductis, ad jus
nostrum Justinianum similiter à Nasutis arrosus, quod
habeat nimirum Nasum cereum, & quod ut jus incertum pra-
posterè, uti lubet, sicuti argilla sub manibus Figuli in Orbe fi-
glinò perverti ac commutari possit, progredimur. Quod
etiam DEUM primariò Authorem Justitiæ, secundariò
autem Justiniani, Imperatoris Romanorum Augustiss. &
Sacratissimi Authoritatem pro se habet, quæ jussu Impe-
ratoriò Jcti Veteres Magnifici Corpus Juris, quod & Sa-
pientia Civilis nominatur, & in nostrò conspectu est, ela-
boraverunt. Ita enim loquitur Imperator Justinianus in
Procem. Inst. Jur. §. 2. de Compositione Codicis & Pandect.

Et

Et cum sacratissimas Constitutiones antea Confusas in luculentam ereximus consonantiam, tunc nostram extendimus Curam ad Immensa veteris prudentia volumina, i.e. 2000. libror. Et opus desperatum, quasi per medium profundum euntes caelesti favore jam adimplevimus.

MEMBRI II. Pos. 2.

Hoc Corpus Jur. nostrum Romanum S. ex Imperio Romanorum Augustissimò Ortum, Originem habet ex præceptis Jur. Naturæ, Gentium & Civil. ex Imperator. Rescriptis, Jctorum Responsis, Senatus Conf. & alior. Sapientum sententiis collectum &, sic haud facile potest trahi ad quemvis sensum. Unde & DNI. Theologi morales ad Leges Justinianæ, tanquam ad Sacram confugiunt Anchoram. Uti loquitur Struv. in Syst. jur. p. 33.

MEMBRI II. Pos. 1.

Hujus Sapientiæ juris Civil. curam DEUS, Fons salutis, jur. ac justitiæ ad conservationem societatis humanæ, Imperiorum Administrationem & Rer. publicar. gubernationem *JUSTINIANO* Imperatori, quem exindè *MAGNUM* cognominarunt aliqui, Ejusdemq; jur. & Justitiæ Antistibus S. uti *Imperator* eos ipse nominat Antecessoribus, ut qui in terris personam gerunt Divinam suntq; Dii & Filii Excelsi, nostri *JEHOVÆ* Ps. 82. Commendavit, inter quos est Clarissimus Jctus *Tribonianus* & alii cum Eò, qui in Procæmiò Inst. Pandectar. & Codicis denominati reperiuntur, per quorum operam hoc Ingens Beneficium Divin. ad nos propagatum est; De quò primò Soli DEO & deindè *Imperatori* laudatissimo cum Consiliariis Ejusdem juris sit Laus & Gloria immortalis!

MEMBRI II. Pos. 3.

Huc pertinent ferè & repetuntur omnes Distinctiones Theologicæ priores, quæ antea contra imperperspicuitatem

S. Scri-

S. Scripturæ Adversariis adductæ & oppositæ sunt; sunt enim in unô eodémq; passionis & oppositionis prædicamentò *S. Scriptura Verbi DEI & Justiniani Jur. Corpus Civile*. Ideoq; & hîc ad Defensionem Perspicuitatis applicari possunt congruè, licet non totaliter, tamè partialiter, quia omne simile claudicat non in omnibus, sed quibusdam circumstantiis, haud Universaliter sed particulariter.

Alstedius in Theatrò Scholast. sect. 3. c. 8. fontem omnium Conciliationum legum ostendit per Rivulos Distinctionum, nr. Rem considerari 1. vel absolutè vel respectivè. 2. per se & per accidens. 3. actu primò & secundò. 4. simpliciter vel secundum quid: 5. verè vel eminentè. 6. latè vel strictè. 7. directè vel indirectè. 8. naturà vel gratià. 9. authoritate & ministerialitè. *Mercerius* in Conciliatore 4. Regulas ponit. Quæ perlustratione ex eo dignæ sunt.

Seduardus lib. 4. tit. 19. inquit: *Omnis disputatio consistit in excogitandò dispari & docendà diversitate*. *Grotius* enim ait de J. B. & P. lib. 2. c. 16. *Conjecturis opus est, quoties in pactis est évavtioφαία*. Hinc *Corasius* de arte jur. part. 3. c. 14. *Solvi injure pleraq; obscura (apparenter obscura) aut per fallaciam equivocationis, aut accidentis, aut à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.*

It. In separatis de unô ad aliud non infertur, quia separatorum separata est ratio.

Vel: Plus & minus non faciunt differre genere.

Vel: Diversitas accidentium non inducit differentiam specificam.

Et: Accessorium sequitur Naturam principalis. &c.

MEMBR. II. Pos. 4.

Estq; ita jus nostrum jus certum, unde judici jus debet esse notum; ad sublevandum verò judicis laborem & ipsum judicem darius informandum, ut & ipsum factum

B

ejus-

eiusdemq; Circumstantias ex actis exponendas, utraq; pars, quæ pro se facere videntur allegare & ad factum applicare soleat. Inde iudex æstimabit, cujus Argumenta sint potiora, & si Controversum sit jus, secundum receptam sententiam judicabit; quia ab iis, quæ observantiam introducta sunt, recedendum non est. per Excell. Dn. Carpz. in process. jur. tit. 23. Art. 3. n. 33. Nam temerè mutanda non sunt, quæ certam semper habuerunt observantiam l. minimè ff. de legib.

MEMB. II. Pos. 5.

Definitio veri & iusti Jcti s. boni Advocati brevissima & summaria: *Est nr. Vir bonus nobiliss. atq; justitarius, jus suum cuiq; (Ecclesia, Reip. sibi proximog;) privatim & publicè tribuens.*

MEMBR. II. Pos. 6.

Talis descriptus circa jura laborat, justitiam conservat, amissam restituit, miseris auxilia præbet, non lucri sed justitiæ amore, qui est finis primarius per l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.

Ejusdem Mens & Studium est *Scientia & Praxis*. it. Lites abbreviari ob publ. interesse. l. 13. C. de judic. l. fin. ff. pro suo.

Videatur *Hopperi* Tractatus de vera jur. prudentiâ elegantissimus.

MEMBR. II. Pos. 7.

Ipsi incumbit ad certiorationem conscientiæ suæ Clientem de causâ exactissimè examinare, per oppositiones omnifarias circumstantias exquirere, an habeat fundatam intentionem. Si adest vel plenè vel semiplenè, vel totaliter vel aliquatitè, tunc salvâ Conscientiâ Rem aggredi potest, sin verò nullatenus fundamenti scintilla reperitur, tunc à causâ ut injusta se ad salvandam conscientiam abstrahere debet. Quod autem litis eventus sit dubius & haud in omnibus Palma sequatur, minimè Advocatus in culpa est, sed incertitudo causæ, in quâ erravit. Sæpè enim evenit, quod Advocatus in causis per Contrarias opiniones, & sententias Jctor. in Veritate seducitur, ut injustum pro justò æstimet, quia tot sunt Sententiæ, quot capita. Item in explicatione legis confundere se potest, ut & in errabundâ opinione de semiplenâ vel haud adimpleta probatione, quia Actiones judiciales sæpè sunt Nodi Gordii, & facti interpretatio etiam prudentissimos fallit. l. 2. ff. de jur. & facti ignorant.

Membr.

MEMBR. II. Pos. 8.

Sæpè per falsa Documenta Ipsò in sciò fallitur, sæpiùs causæ consistunt in rebus arduis, obscuris & intricatis, adeò ut nemo & sapientissimorum fundamentum ac nucleum causæ scire atq; invenire possit. Ideoq; Imperator l. 9. & 56. ff. de R. J. benè sancivit:

Semper in obscuris, quod minimum est sequimur.

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

Et alibi extat: Quod in hisce dubiosis tanquàm ex duobus malis minus ac levisimum sit eligendum. Et si adest Medium in duobus Extremis? secundum Axioma: *Mediò tutissimus ibis*, quia in mediò consistit Virtus. Neq; Certitudo in obscuro permaneat, melius est pluribus fontibus parcere, imò eos absolvere, quam unicum Innocentem condemnare l. 5. ff. de pœn. & arg. l. 9. §. 1. 4. l. 22. l. 16. ff. de reb. dub. It. Id accipiendum est, quod faciliùs præsumitur.

MEMBR. II. Pos. 9.

Bonor. Advocatorum officium est & denominatur laudabile l. 4. C. de Advoc.

Vir Summè Consularis, cujus inclyta Nomina Vesper & Ortus habet, Cicero & Generalisf. Germanicus, aliiq; Illustrissimi haud erubere hoc officio. Pii enim Advocati patrocinantur piis & resistunt Impiorum conatibus l. 2. §. 13. ff. de O. J.

MEMBR. II. Pos. 10.

Requiritur ab ipsis, ut malam minimè defendant causam. Exod. 4. 3. Olim tam judex quam Advocatus in unaquaque causâ jurare tenebantur; Jam Doct. jur. in Promotione jurant, quod id, quod justum & æquum secundum ll. Consulere atq; judicare, econtra injustitiæ pro viribus resistere velint l. 14. C. de jud. arg. l. 1. C. de publ. læt.

Ideoq; Pericles Amico causam malam habenti & patrocinium ab eo petenti respondit: *Auxilium Amici se non porrò extendere quam usq; ad Aram.*

MEMBR. II. Pos. 11.

Ubi notandum, quod Actor. 24. S. Bibl. teste Luth. tam de judice, qui alias vocatur Præses Territorii, Felice, quam Advocatò Terullianò commemoretur optimè. Imo Ipse Christus & Sp. S. in S. S. denominantur: *Ὁ Δικηγοῦν* i. e. Advocatus. Joh. 15, 16. Joh. 2. Hinc ita meritò sanctis honorantur nominibus, & quidem ab Imperato-

ribus (1.) pro parentibus habebantur l. 4. C. locat. §. 4. Inst. quib9 mod.
 jus patr. potestatis potest solvi. l. ult. C. de Consul. (2.) Amici Prin-
 cipum. l. 4. C. de contrah. Stipul. (3) Authores & patres jur. Gellius
 lib. 12. N. A. c. 13. (4) Comites princip. arg. l. diem functo. ff. de off.
 Assessor. Hinc moderni Comites Palatini SS. Palatii Lateranens ori-
 ginem trahunt suam Speidel. notabil. polit. Coler. de Studiô polit.
 p. 135. (5) Sacerdotes justitiæ. l. 1. ff. de J. & J. Sunt enim quasi Sacer-
 dotes & Prophetæ Divinæ voluntatis & uti Sacerdotes in dandâ pœ-
 nitentiâ jus suum cuiq; tribuunt, ita & Jcri & Advocati in judican-
 dō ait Glossa ad l. 1. ff. de J. & J. Ideoq; & Solatium & præmium eo-
 rundem est, quod Gothofr. ad l. 1. ff. de pericul. & commodō Rei
 vendit. suggerit: *Certisfima ad Cælum Via est nostra jur. profesio.*
 (6.) Militiæ togatæ Heroes, quod intricatas res justificandō rectifi-
 cent, per fidele patrociniū universaliter ac in genere atq; in rebus
 privatis quasfata restituant, deperdita vel quasi in Integrum resti-
 tuant & ita generi humano non minùs proficiant, quam cum dimi-
 cationibus Martialibus vulneribus propriis patriam & patrios La-
 res ab interitū liberrrent. l. 14. C. de Advocat. div. jud. ubi summè
 ab Imperatore æstimantur. 7. ab Horatiô denominantur: insigne
 mœstis præsidium Reis. (8) Eqvites pacis aurati l. 14. C. de Advoc.
 div. jud. (9) Lutherus vocat istos Territorii Salvatores. & jo.
 Cicero, cui latina vis & copia & ardor est Eloquentiæ tanqvàm à
 flumine dulcis Nectaris Svavi ab ore in Orat. pro A. Ceninna & ali-
 bi vix Copiam Nominum invenire potest ad extollendas laudes
 Jctor. Advocatorum eorundemq; gloriam.

MEMBR. II. Pos. 12.

Ideoq; gaudent privilegiis & immunitatibus solennibus ab Im-
 peratoribus extra ea, de quibus Rebuffius commemorat in Tracta-
 tu de privileg. Studiosor. (1) Immunes debent esse omnibus one-
 ribus l. 3. 5. §. ult. l. 6. 12. C. de Advoc. Guidæ Papæ decis. 388. (2) In
 causis propriis Sportulas solvere non tenentur. l. 7. §. fin. C. hic (3) ha-
 bent beneficium jur. Retentionis in Actis Clientum privatis usque
 ad restitutionem Impensarum ac solutionem salariis. mercedis l.
 colonus. 12. ff. de vi & Vi armat. Coler. de procurat. except. p. 1. c. 2. n.
 28. (4) potestatem gerendi tunicam Talarem l. 8. C. de postul. Dur.
 lib. 1. Speculi part. 4. (5) Nullam debent rationem reddere de datis
 Con-

Consiliis contra voluntatem & Spem sinistrè eventum consecutis
l. 47. c. 62. de R. I. (6) Habent pro se quoad salarium s. mercedem pro
causarum laboribus in Concursu Creditor. jus prioritatis Clasfis
secundæ reale præ aliis hypothecariis N. G. Ordn. c. 42. §. nach
diesen. & (7) Licet non bonam causam defenderent nec palmam
obtinuerint, sicuti Medici, quorum ægroti morte succubuerunt, ta-
men minimè privantur salariò. l. 6. §. 7. ff. de off. præsid. &c.

MEMBR. II. Pos. 13.

Quod autem jus nostrum certum clarum & perspicuum qui-
busdam ignorantibus, indoctis, semidoctis, semicoctis Rabulis am-
biguum & obscurum videtur, hoc juri non est imputandum sed
ipforum ignorantia ipsissima, ut qui Tepidi tepidè, obiter & haud
perfectè Studium hoc Nobiliss. imò illustrissimum aut tractave-
runt, aut minimè rite absolverunt. Sunt enim non semper ex ver-
bis legum sed ex Sententiâ legum multi casus decidendi. Exindeq;
Magnificus Jctus Celsus l. 17. ff. de ll. magnificè ait: *Scire leges non
hoc est, Verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* Et præsertim
ad hoc scire requiritur & opus est Interpretatio Jctor. quia secun-
dum Remi Disp. 13. thes. 2. lit. A. *Nulla Ars literis mandata sine In-
terprete & aliquâ exercitatione percipi potest.* Præterea juris Libri,
quanquam plurimi sint, Doctorem tamen Lumenq; desiderant. test.
Cic. lib. 7. epist. famil. 19.

MEMBR. II. Pos. 14.

Quod & Rabulæ forens. sive docti s. indocti, perfectæ aut
Imperfectæ eruditionis qualitatibus, aut ex Imperitiâ, aut male-
fvidâ avaritiæ & lucri depravati Rabie damnatâ jus nostrum Civ.
pervertere, judicemq; cum ignotò vel certioratò jure corrumpere,
ejusdemq; oculos & mentes cum legibus excoccare atq; obumbrare
conantur, exceptis aliis stratagematibus, quibus quidam impii Cau-
sidici in injustâ & fucatâ causâ utuntur, cum latebram quarunt
perjuriò & aliis. Quibus & plerumq; accidit hocce contingens,
quod Manipulum auri gravius sit quàm Saccus jure, justitiâ legibus-
que plenus. Unde Adagium istud Germanic:

**Das Geld Gewalt und Gunst / bricht Siegel / Recht
und Kunst.**

Attamen tales injustæ motiones in ac præ se nullum habent fixum

& constans fundamentum carens benedictione Divinâ & Veritate. Veritas enim est invictissima Virtus, immortalis semperq; Victoriâ cum Palmâ obtinens in Throno Triumphali sedens. Ideoq; distingvendum erit inter pium & bonum usum, atq; impium & malum abusum, qui abusus nequaquam tollerandus sed omnibus Viribus removendus & extirpandus.

MEMBR II. Pos. 15.

Sunt enim quidam & multi Rabulæ & Caufidici, qui Doctorem in uterô gerunt & nesciunt: Quid & quotuplex sit jus? Audiverunt quidem Campanam, at nesciunt locum in & à quô? Querulante Eberhardô à Weihe de vana gloriâ mundi. Et sunt similes iis, de quibus Salvator in Evang. Trinit. ad Nicodemum ait. Susurrantem quidem audis ventum, sed locum à quô nescis aut quô vadat. Isti inepti sunt digni, ut à limine iudicii repellantur per l. i. §. 4. v. Adv. ff. de extraord. Cogn. Ideoq; laudatur Ille Dux in Meylandi cum audivisset de Impiô Advocatô causas pervertente, strangulare eum iussit.

MEMBR. II. Pos. 16.

Sunt & isti Reipubl. utiles uti ferrum æruginè arroditur. Sunt ex tribu excoriantium, qui mortuos hi vivos deglubunt, nominantur bonor. extortores. legum contortores. videatur illustr. ZIEGLERUS in Tractat. de Rabulis elegantiss. per tot. Sunt odiosi veris Jctis & Advocatis piis, ut oves Scabiosæ, sunt ex grege Hircorum foedi odoris à sinistra parte extrrmi Christi iudicii magni. Tales Rabulæ stuprare ac dehonestare conantur jus & justitiam, committunq; vel intendunt Stuprum violentum vel quasi in purissimam justitiæ Virginem. Eorum gloriatio est; sed malè secundum Accursium: Quod nulla Obligatio tam firma adeoq; munita sit, quæ non perforari & annullari, vel minimum ad infinitas lites earumq; inexpectabilem exitum extendi possit.

MEMBR. II. Pos. 17.

Imò quidam in Machiavelli Scholâ edocti Ambitum rationis Status corruptæ colentes hocce stratagemate omnia impia colorant, neglectôq; DEO Ejusdemq; S. S. hocce Impium dictum proferunt:

Ea

Ea nunc esse tempora, quibus rationem status non ad Biblia, sed Biblia ad rationem status accommodari oporteat.

Zahn. de mendaciis. lib. 1. c. 14. pag. 47. Et hoc est non ex vera, sed uti dictum ex corrupta Status ratione, Impia & Diabolica.

MEMBR. II. Pos. 18.

Inquiunt quidem Isti Machiavellici Pseudopolitici:

Mendacium, simulatio & dissimulatio non semper, non omnis est turpis ac in se & sua natura damnanda. Item DEum ne odisse mendacium omne, S. S. comprobatur, quod videre est in Abrahamo, Davide aliisque Sanctis.

Sed distinguendum inter Mendacium dicere & inter mentiri.

Mendacium enim non est mendacium, dolus non est dolus, nisi astu colas. eleganter ait Clapmar. lib. 1. arcanorum Reipubl. c. 7. Grotius de J. B. & P. lib. 3. c. 1. Prasch de mendac. p. 36. Conring. de prudent. Civil. c. 2. pag. 21. nisi injuriam conjunctum & mixtum. Atque. E.

MEMBR. II. Pos. 19.

Ideoque isti corrupti Rabulæ nominantur ab Apulejo: Toga Vulturii, quibus est JUSTITIA venalis & mature peritura, si Emforem invenerint, sunt Crumeni vulgæ, jurgiorum præceptores, qui clamosi rabiosa fori jurgia vendentes improbi iras & verba locant.

Drexelius in Salomonem, cap. 12. §. 2.

MEMBR. II. Pos. 20.

It. Æquiparantur Insectis venenosis, quæ Venenum ex iisdem floribus saporis fugunt, ex quibus mel Apes. permanet itaque verum in omnibus Adagium Statibus & rebus:

Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.

Non enim spectandum, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat. l. 12. ff. de off. præf. in omne tritico Zizania est, de quibus ait Christus: Sinite eam crescere usque ad messem. i. e. exitum
mun-

mundi. Propter abusum non tollitur Usus est Axioma jur.
malè & ineptè de Crate refertur, quod pecuniam abjecerit à
se, quia superbiam foveat, essent enim inepti cultri usu ab-
stinere, quia vulnerat & igne quia urit.

De quibus Rabulis, eorundemq; arte Rabulisticâ scitè
seripfit & videre est Autor Parthenii Litigiosi, it. Frisſche in
Tractatu de Advocatô peccante, imprimis autem Magnif.
Jctus ZIEGLER pro quô ego non sum dignus, ut lorum
calciamenti solvam, in incomparabili Tractatu; de Arte Ra-
bulisticâ.


MEMBR. II. Pos. 21.

Et licet quidam Textus sive quædam leges in jure aliis
contrariari videantur, reverà attamen Contrarietas haud est,
sed videtur tantummodò apparentèr, quod demonstrant &
docent facilè Reconciliationes legum Jctur. utpote Pacii.
Nicolai de pasferibus. Lindneri & aliorum, quæ diligenter
& ingeniosè adhibendæ sunt. Nulla enim Antinomia in
jure nostro Civil. nec datur, nec est statuenda.

Concludo cum Liviô qui exclamat h. v. à Verita-
te laborare nimis, jus sæpè ajunt extingvi nun-
quàm. DEO, & cum Deo Imperatori
Laus sit & gloria per seculorum
secula! pax!








Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle

3

003 731 693





f

56.

1017







20

CUM DEO TRINUNO!
Invictissima Claritas & Perspicuitas

1689 30
12

Sacræ Scripturæ ET Corporis Juris Civi- lis JUSTINIANEI,

P. 3.
contra
ALLATRANTES ADVERSARIOS,
Qvod Ista sit litera mortua ac animanda per
TRADITIONES;
*Hoc autem habeat Nasum cereum, hinc inde mutabi-
lem & transformabilem,*
annuente & favente S. Theol. & J. Ctor. Facultate
per Simile cum Sacra Scriptura demonstrata
& qvod ejusdem materia jucundum legendi & utile
accessorium est,

CHRISTI & Jur. Servo Infirmo,
AUG. FLEISCHHAUERO, Imperial. auth. Not. &c.
Anno Christi 1689.

Witteberga, è Calcographio Johannis Wilckii.

